

CAP. XIX. QUID SIT REMINISCI.

Quid cum ipsa memoria perdit aliquid, sicut fit, cum obliviscimur, et quaerimus, ut recordemur? Ubi tandem quaerimus, nisi in ipsa memoria? Et ibi si aliud pro alio forte offeratur, respicimus, donec illud occurrat, quod quaerimus, et cum occurrerit, dicimus: hoc est; quod non diceremus, nisi agnosceremus, nec agnosceremus, nisi meminissemus. Certe ergo obliti fuimus. An non totum exciderat? Sed ex parte, qua tenebatur, pars alia quaerebatur, quia sentiebat, se memoria non simul volvere, quod simul solebat, et quasi detruncata consuetudine claudicans, reddi, quod deerat, flagitabat; tamquam si homo notus sive conspiciatur oculis, sive cogitetur, et nomen ejus obliti requiramus, quidquid aliud occurrerit, non connectitur, quia non cum illo cogitari consuevit, ideoque respicitur, donec illud adsit, ubi simul adsuefacta notitia non inaequaliter adquiscat. Et unde adest, nisi ex ipsa memoria? Nam et cum ab alio commoniti recognoscimus, inde adest. Non enim quasi novum credimus, sed recordantes adprobamus hoc esse, quod dictum est. Si autem penitus aboleatur ex animo, nec admoniti reminiscimur. Neque enim omnimodo adhuc obliti sumus, quod vel oblitos nos esse meminimus. Hoc ergo nec amissum quaerere poterimus, quod omnino obliti fuerimus.

CAP. XX. DEUM ET BEATAM VITAM NON QUAREREMUS, NISI NOSSEMUS.

Quomodo ergo te quaero, Domine? Cum enim te Deum meum quaero, vitam beatam quaero. Quaeram te, ut vivat anima mea. Vivit enim corpus meum de anima mea, et vivit anima mea de te. Quomodo ergo quaero vitam beatam; quia non est mihi, donec dicam: sat es, illic ubi oportet ut dicam? Quomodo eam quaero? Utrum per recordationem, tamquam eam oblitus sim, oblitumque me esse adhuc teneam; an per appetitum discendi incognitam, sive quam